



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quęstio 2. Cur inimicus dicitur superseminasse?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

umbratur. Cuius rei inficitia fecit, ut sophistæ frustra, nihil disputacionibus se torquerent, sicut alibi attigimus. Scio quosdam subtilius minutis quasque particulas persequi: Sed quia timendum est ne argutie minus solide nos ad ineptias deducant, parcius philosophari malo, simplici & genuino sensu contentus.]

Mirum est hominem ignem & caminum Metaphoricum constituere, cum toties Christus ignem, & gehennam ignis nominet. Quasi vero nouum sit, aut non conueniens, post resurrectionem corpora ignibus torqueri; & quia demon incorporeus est, cui ignis ille paratus dicitur, potest veluti Dei instrumentum etiam Spiritus cruciari, quia de re sancti patres, & Theologi sine reprehensione hactenus disputarunt. Docentque etiam non sit de fide esse ignem corporalem, temerarium tamen esse id negare. Caminus autem infernus rectissime dicitur, quia in infima mundi parte, terra vndique est conclusus fornacis instar. Quamuis autem locum certum damnatis constitutum negent Calviniani, certum tamen omnes ceteri, atque ex illis multi farentur. Ignem esse ait S. Augustinus, sed cuiusmodi sit, aut qua mundi parte, scire neminem nisi cui Spiritus Sanctus reuelarit. lib. 20. de ciuit. Dei cap. 16. Non quod neget loco inferiore esse, sed quod, in qua mundi plaga sit, nemo sciat. Posse autem corpora in igne viuere docet. lib. 21. de ciuit. cap. 9. Etiam demones cruciari esse Spiritus sint. Cap. 10. Cur enim non dicamus, quamuis uiris, tamen ueris modis etiam Spiritus incorporeos posse pena corporalis ignis attingi, si Spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum uinculis insolubilibus alligari? Adhærebunt ergo, si eis nulla sunt corpora Spiritus demonum, imo Spiritus demones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi: non ut ignes ipsi, quibus adhærebunt, eorum iunctura inspicientur, & animalia fiant, qua consensu spiritui & corpore: sed ut dixi, uiris & ineffabilibus modis adherendo accipientes ex ignibus penam, non dantes ignibus uitam.

Infernus
caminus.

Spiritus
igne tor-
queri pos-
sunt.

QUESTIO II.

Cur inimicus dicitur super-
seminasse?

Hæreses §. 1. **Q**uia tum primum, ubi semen Dei ex-
sempre fide ptum, & fructicare conspicit, vehementer
posteriores. efferatur; prius enim in paradiso, deinde in mundo
Dei opus apparuit, deinde per demonem destructio
consecuta est. Hæreses itaque & hæresiarum ab in-
imico sunt; quia superinductæ sunt ueritati. Ita Ter-
tullian. l. de præscript. aduers. hæret. cap. 31. Sed ab
excessu, reuertar ad principalitatem, inquit, ueritati, & po-
steritatem mendacitati deputandam, ex illius quoque para-
bolæ patrocínio, qua bonum semen frumenti à Domino semi-
natum primo constituit, auenarum autem sterilis feni adul-
terium ab inimico diabolo postea superducit. Proprie enim
doctrinarum distinctionem figurat, quia & alibi uerbum
DEI seminis similitudo est. Ita ex ipsa ordine manifestatur,
id esse Dominicum & uerum, quod sit prius traditum: id au-
tem extraneum & falsum, quod sit posterius immissum. Ea
sententia manebit aduersus posteriores quasque hæreses, qui-
bus nulla constantia de conscientia competit ad defendendam
sibi ueritatem.

Falsum est
quod su-
perinductum
est.

A diabolo igitur illa doctrina est, quia ueritate est
posterior. Principalitas est prioritas: nam opponitur
illi posteritas, ut docet Quintianus Tertull. interpres.
Qui à principali hoc est prima successione recedunt,
& abstant, hæretici sicut, aut schismatici. Iren. l. 4. c.
43. Quæ enim à Deo principio traduntur, illa uera sunt

& perfecta, neque enim se cundæ cogitationes Despi-
cientiores sunt prioribus, quod humane imbecillitati
ad exultationem penitentiae prouerbio tribuimus.
Eodem modo idem Tertull. aduersus Praxeum. cap. 1.
Fructificauerunt auena Praxeana, hic quoque super semina-
dormientibus multis in simplicitate doctrine. Et Pammilius
Vtrobique sic circumloquutus, quæ Matth. 13. nuncupantur
zizania, adludens, quantum adparer, ad illud Virgilij Geor-
gicon. 1.

In felix solum & steriles dominantur auena.
Id Dominicum & uerum esse, quod sit prius traditum, &c.
Hanc aduersus hæreticos præscriptionem læpiti-
mè in medium adducit Tertullianus, non modo hoc
libro supra c. 29. & infra c. 36. sed pene sub initio sin-
gulorum librorum aduersus hæreticos. Sic lib. aduers. Ter-
tullianum: Solemus, inquit, hæreticis compendij gra-
tia de posteritate præscribere. In quantum enim ueritatis re-
gula prior, quæ etiam futuras hæreses præuincit, in tan-
tum posteriores quasque doctrine hæreses præiudicabuntur. I-
tem lib. de carne Christi. Quod traditum erat, id erat u-
rum, ut ab eis traditum, quorum erat tradere. Ergo quod erat
traditum rescindens, quod erat uerum rescidisti. Et aperit
l. 1. aduers. Marc. Non negabunt discipuli eius primam illi
nobiscum fidem fuisse, ipsius literæ testibus, ut hinc iam defi-
nari possit hæreticus, qui, deserto quod prius fuerat, id postea
sibi elegerit, quod retro non erat. In tantum enim hæresis de-
rabitur, quod postea inducitur, in quantum ueritas habebitur,
quod retro & primordio traditum est. Acad. eund. l. 4. Is
summa si constat id uerum quod prius, id prius quod est ab in-
itio, ab initio quod ab Apostolis, pariter uique constabit id ef-
se ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolicas fuit
sacrosanctum. Denique aduers. Praxeum. Quo peragere ad-
uersus uniuersas hæreses iam nunc præiudicatum sit, id est
uerum quodcumque primum: id esse adulterum, quodcumque
posterius.

§. 2. Tandem firmum, euident, & quod nullat-
gutia eludi potest argumentum ex his conficitur, ex
quo clarescit Ecclesiam esse aspectabilem. Si enim a-
ger est totus mundus, si inimicus in eo seminauit Zi-
zania, si crescant fruges & Zizania usque ad extremum
mundi diem. Si inter se premunt triticum & Zizania,
qui fieri potest, ut Ecclesia multo tempore defecet,
non fuerit ullus cæcus, qui publice culturis ueri Dei
uerum retinuerit? Quid ad ista respondere possunt,
qui semper in Ecclesia fuisse hypocritas, bonis & lin-
ceris mistos fuisse docent? Sane non in alio loco, sed
in agro in quo triticum, nec in angulo agri, sed in me-
dio tritici Zizania crescant, sed cum tritico, neutrum
igitur latere potuit.

§. 3. Occultam crescendi vim Euangelij hac para-
bola demonstrat, nam quod alij Christum, alij Eccle-
siam per granum sinapis intelligant, eodem recidit, nã
& Christus lapis abscissus in montem crescit, hoc est
eius regnum, & Ecclesia incrementum cum ipso Eu-
angelio pari gradu proficit.

Paruis enim initijs Christiana religio in regna mul-
ta ac tandem in orbem terrarum propagata est. Non
igitur resiliendum, aut timendum est, si uires exigue
videantur, contra ingentem mundi & demonis po-
tentiam; Deus enim est qui conseruat Euangelium,
qui per abiectos crescit, & roborari arcanâ sui Spi-
ritus efficientia, non humanis artibus opibusque re-
ligionem uoluit, nec enim humana aut ludicra præ-
mia petuntur, sed æternæ gloriæ aut damnationis ne-
gocium agitur. Etenim omne robur quod humano
ingenio, & industria coactum est; facile dissoluitur,
quod Dei uirtute falcitur æternum est.

§. 4. Quid igitur Christo respondebunt illi, qui ta-
per aliquot sæcula Ecclesiam, Euangeliumque la-
tuisse contendunt: non potest arbor illa inter olera posita
eminens esse.

eminens abscondi. Quomodo inuisibilis est, aut fuit, si volucres aduolent, & in ramis insident, ut Baza vertere maluit, nidulantur, & quasi tabernacula ponunt. Ecclesiam ait Sophron. cœtum infirmum, exiguum, egenum & pauperem, sed sperantem in nomine Domini, qui etiam collatus regni, & imperij contemptus est, tamen maior sit & superior ac gloriosior omnibus regnis, quæ delentur, aut Ecclesiæ per fidem subijci. Volucres non tantum pji sunt, sed etiam mali, qui tamen credentes ad Ecclesiam veniunt. Pertinent, inquit Aret. huc exempla Philosophorum & doctorum, qui ex Ethnicis sese ad Ecclesiam contulerunt, qualis Origenes, Gregorius, Chrysostomus, alijque. Deinde accessio gentium sensim & sensim facta, donec totum orbem quasi hortum occuparit illud granum. Imperium ipsum & principes subegit. Illa vis est latens, & clam penitens hominum peccata. Sed expendatur hic etiam officium huc confugientium, non solum in vmbra eius delitescendum est: sed opera danda ut nidifiant, & inde soboles propagentur. Hæc iste vere, vnam hæc eadem cogitent, qui Ecclesiam toto sparsam orbe, regibus & principibus imperantem, gentes subijcientem fide, occultam tamen fiant, & inuisibilem.

Eadem est vis alterius similitudinis vers. 33. *in celis & 34.*

§. 3. Aliam parabolam locutus est eis: *Simile est regnum celorum fermento, quod accepit mulier abscondit in farina satribus, donec fermentatum est totum.*

Fermentum duo habet, corruptionem naturæ, & gratiam acorem. Est enim quod in vino acetum, id in massa fermentum, ideo in malam piciem fumi interdum solent, ut Corinth. 5. 6. & 7. Est vero hæc corruptio seu acor ex putrefactione inchoata, ideoque calorem continet, ut omnia quæ putrescere incipiunt, per eum efficit, ut cum miscetur massæ, eam dilaret, acorem indat, & quidem celeriter maxime cum massa est triticea, & in reg. onibus calidis, ab hoc effectum sumitur parabola, qua in crementum Evangelij demonstratur, corruptionis hic nulla habetur ratio. De lato vide Brug. Vincentium, Villalpan.

Abscondit, ita commiscet, ut non appareat. Mulier illarum enim erat pinlere. Sara Gen. 18. 6.

Tota massa mundas est, fermentum est Evangelium, quod totum eum afficit, & peruens omnia non potest esse absconditum. Miscetur à muliere, sapientia æterna. Massa enim ex sese iners, insipida, immota manet, fermenti calore crescit.

VERSVS 43.

Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum: Qui habet aures audiendi audiat.

QUESTIO I.

Qualis iustorum fulgor?

§. 1. Fulgor sanctorum huius mundi squalori, tenebris, afflictionibus opponitur, deum tenebris exterioribus, in quas impij conijciuntur, qui eunt ignobles velut sterco terræ. Omnes vero iustos clara in luce resurgentes conspiciant. Deus lux dicitur, & filius lux de luce, & lucem inhabitare inaccessibilem. Lux igitur Dei puritatem, sanctitatem, maiestatemque significat, atque ex ea luce lux minor

magnæ lucis *ἀπαργίζ* tius de gloria sanctorum dicitur. Hinc & Angeli lucis nominantur, ut demones potestates tenebrarum. Et fere cum apparent, magna luce apparent.

§. 2. Veram etiam corpora beatorum induent, *Veram enim primariam corporum immortalium dicitur, celo lux.* fulgor: ideoque cœtus admirabilis, ubi myriades solis instar collucentium. Calvinianus Tossanus Metaphoricè lucem interpretatur, atque ex eo probat non poss. etiam caminum ignis proprie accipi. Nos potius inuertimus argumentum, & quia lucebunt illi proprie, etiam alij ard. bunt. Erit autem talis gloria, qualis non auferet naturam, sed adferet gloriosam immortalitatem: Augustin. Enchirid. capite 19. Si enim Sol & Luna septemplum luce splendeant, cur veram corporibus lucem negemus? Angeli in resurrectione fulgentes & ascensione apparent, cum corpora non habeant, cur non ergo corporibus beatorum lucem veram tribuamus.

§. 3. Tossanus probare conatur, non fore diversos in gloria cœlesti gradus, quia cum omnes iusti fore dicantur instar solis: [Nam quod 1. Cor. 15. cœtiam scribit esse lucem, & gloriam solis, Luna, & aliorum astrorum: non huc spectat ut diuersos gradus gloriæ exponat, sed illis respondeat, qui assequi non poterant, quomodo vnum & idem corpus possit esse in terris humile & corruptibile, in cœlis autem gloriosum. Id ostendit Apostolus exemplis obuijs, quod eadem animalia, & corpora diuersum tamen habeant formam & pulchritudinem: Alia enim est caro piscium: alius splendor Solis, alius Lunæ.]

De loco ad Corinthios alia disputatio est, suo ordini reuertenda. Nunc hoc explicandum, non ideo comparitatem gloriæ esse, quia omnes Soli comparantur. Neque enim lucis æqualitas indicatur, ut nec minor, nec maior sit in aliquo, quam in Sole. Sed magnam lucem fore prædicat, qualis est Sol's, in quibusdam maior, forte in nullo minor. Daniel. cap. 12. Non aqua-
litas sed
similitudo
indicatur.

De loco ad Corinthios alia disputatio est, suo ordini reuertenda. Nunc hoc explicandum, non ideo comparitatem gloriæ esse, quia omnes Soli comparantur. Neque enim lucis æqualitas indicatur, ut nec minor, nec maior sit in aliquo, quam in Sole. Sed magnam lucem fore prædicat, qualis est Sol's, in quibusdam maior, forte in nullo minor. Daniel. cap. 12. Non aqua-
litas sed
similitudo
indicatur.

Nec solis eadem semper lux diffunditur, interdum obscure fulget, aliquando lucet in virtute sua, Apoc. 1. 16. Denique vltimum est in h's non indicat paritatem. Quis enim dicat. Sanctorum omnium solio minime æqualem esse lucem. Nullum maiorem habere, nec minorem.

VERSVS 44.

Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro: quem qui inuenit homo, abscondit, & prægaudio illius vadit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum.

Qv 2.